



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE  
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,  
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE SVMMO PON=||TIFICE,|| QVINQVE LIRBRIS|| EXPLICATA.||

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Ingolstadii, [1599]**

**VD16 B 1607**

XX. Refelluntur Caluini mendacia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53860](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53860)

## CAPVT XX.

## Refelluntur Caluini mendacia.

**H**ITVR IOANNES CALVINVS explanans locum Apostoli 2. Thess. 2. *Qui extollit se super omne quod dicitur Deus. Multa quidem dicit, & magna pompa verborum, sed nihil ferè probat: Significauit, inquit, Paulus his verbis, Antichristū sibi rapturum quæ eius Dei propria sunt, et supra omne diuinum numē se efferrat, et tota religio totusq; Dei cultus sub eius pedibus iaceat.* Et infra: *Nunc quisquis e Scriptura edoctus erit, quanam Deo maximè sint propria; Et ex aduerso intuebitur quid sibi Papa usurpet, etiamsi puer sit decennis, non multum laborabit in noscendo Antichristo. Magnifica verò pollicitatio.*

Sed audiamus quibus tandē rationibus demonstrat, quod proposuit. Forrè enim eiusmodi erunt, vt pueri etiam decennes non multum laboraturi sint in iis dissoluendis: *Scriptura pronunciat, Deum vnicum esse legislatorem, Esai. 33. & 22. qui seruare potest, Et perdere, Iacobi 4. & 12. Vnicum Regem, cuius officium est verbo suo regere animas, eundem facit omnium sacrorum auctorem: Iustitiam Et salutem ab vno Christo petendam docet, modum simul Et rationem assignat. Nihil horum est quod non sui iuris Papa esse asserat: suum esse gloriatur ligare quibus visum est legibus conscientias, Et aternis penis subiicere. Sacramēta pro libidine sua vel nona instituit, vel quæ à Christo instituta erant, corrumpit, Et vitiat, immò penitus abolet, et in eorum vicem substituat quæ sinit ipse sacrilegia: Media consequenda salutis aliena prorsus à doctrina Euangelij comminiscitur: Totam deniq; religionem pro suo nutu mutare non dubitat. Quid, obsecro, est se efferre supra omne quod numen reputatur, si hoc Papa non facit?*

Nōne bene dixeram multa dici à Caluino, parum, aut nihil probari? Nam quod Papa gloriatur suum esse ligare, quibus visum fuerit legibus conscientias, quod Sacramenta noua instituat, quod aboleat vetera, quod media ad salutem comminiscatur aliena à doctrina Euangelij, quod omnem religionem mutet: dicit quidem Caluinus, sed non probat. sin autem dicere, apud eum probare est: pari ratione inficiari, refutare esse debet.

Certè

Certè quotquot Catholici sumus, & Romano Pontifici Christi Vicario obedimus, liberè dicimus, & sine ulla eius iniuria dicimus; non licere ei quibusvis legibus; hoc est, etiam perniciosis, & iniquis homines ligare; nec Sacramenta noua instituire; nec instituta à Christo corrumpere, vel abolere; nec media comminisci ad salutem, aliena à doctrina Evangelij; nec religionem Christianam peruertere, vel immutare. Id verò eo libentius dicimus, quod scimus eum quoque sentire, ac dicere. Nam si non ita sentit, si putat sibi licere leges iniquas condere, Sacramenta noua instituire, vetera abolere, & alia eiusmodi facere; quomodo patitur, nos ita loqui, qui tamen in eius potestate sumus, & non in angulo nascio quo, sed in ipsa vrbe Roma, eo sciente & volente, docemus?

Sed, inquit, non dicit Papa sibi ista licere, sed tamen in ipsa & factis sibi licere contendit. Proberur igitur aliquid horum fecisse. Nam alioqui assumere quod probandum erat, quod quidem solenne aduersariis est, petitio principij à Dialecticis vocatur.

Porro duo illa loca Esai. 33. & Iacobi 4. quæ sola CALVINVS protulit, sententiæ nostræ nihil omnino officiant. Nam quod Esaias & Iacobus dicunt: *Vnum esse Regem, Iudicem, & Legislatorem nostrum*; certè nõ pugnat cum verbis illius Proverb. 8. *Per me reges regnant, & legum conditores iustitiam faciunt*. Et cum illis, Psalmi 2. *Et nunc reges intelligite, erubescite qui iudicatis terram*. Et cum aliis sexcentis eiusdem generis locis. Non igitur Isaias & Iacobus quocunque modo unicum Regem, Iudicem, & Legislatorem Deum faciunt; sed ea tantum ratione, quod solus ipse ita sit Rex, & Iudex, & Legislator, vt nulli rationem reddere debeat; à nullo pendeat; auctoritate propria, id est, non accepta ab alio regnet, & iudicet, ac leges ferat; ac denique quod solus ipse possit, etiam quoad executionem, perdere, & saluare,

vt Iacobus ait. Nihil enim horum aut  
Papæ, aut aliis Principibus  
tribuimus.

